

11

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31



1700.

- 22^o ^{bis} Strykius, Dr. Samuel: De iure spectrorum. 3 Banden
23^o ^{et} Strykius, Dr. Samuel: De allegatione propriae
tempitudinis

24. Strykius, Dr. Samuel: De Hamburgiorum testamentis

25^o ^{et} Strykius, Dr. Samuel: De jure cratiorum. Vom Karte.
Leyden. 2 Banden.

26^o ^{et} Strykius, Dr. Samuel: De liberiis naturalibus. 2 Banden.

1700 - 1711.

27. Strykius, Dr. Samuel: De conditione criticarii.

28^o ^{et} Strykius, Dr. Samuel: De rejectione ab actis. 2 Banden

29^o ^{et} Strykius, Samuel: De jure probandi constructionem
moleniorum. 2 Banden.

30^o ^{et} Strykius, Samuel: De foro principum et princi-
piorum communi. 2 Banden. 1700 - 1740

31. Strykius, Samuel: De potestate clericorum in
secularibus.

32. Stryknius, Samuel: *De iure funerandi.*

[App. 7. Nicolaus Körn]

33. Stryknius, Samuel: *De periculo petentis*

34^{a, b} = Stryknius, Samuel: *De probatōne contra praest.*
sum paramentum legale. 2 Exempl.

35. Stryknius, Samuel: *De obsequio iudicis inferioris.*

36^{a, b} = Thomassin, Christianus: *De presumptione loci-*
satis. 4 Tomplare 1702, 1724, 1735 & 1749.

37^{a, b} = Thomassin, Christianus: *De legitimis viventis.*
1700, 1713 & 1727.

DISSE^TAT^O JURIDICA, 922
DE
**JURE
SPECTRORUM,**

Oder:

En wie weitemand aus Furcht vor
Gespenster sich ein Recht anmassen könne;

QVAM
PRÆSIDE
DN. JOH. SAMUELE STRYCKIO,
J. U. D. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO ET FA-
CULTATIS JURIDICÆ DECANO,
IN ALMA FRIDERICIANA
Anno 1700. d. 25. Junii
RESPONDENDO PROPUGNAVIT
ANDREAS BECKER,
HAL. MAGDES.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS HENDELIANIS, 1738.

DIESER STABO TERRIDGE

JURE

MURATORI

IN LONDINIIS
EX OFFICINA C. THOMAS ET S. COLVILLI
MDCCLXII.

PRÆFACE

DA. HON. SAMUEL STRICKLAND

IN AFRICA ET INDIA

ANDREW MELLINGER



PRINTED FOR THE AUTHOR
BY JAMES DODSLEY

923



Q. D. B. V.

PRAEFATIO.



Vi seculi nostri felicitatem præ superioribus adstruere aliquando cupiet, næ ille præcipuum ab admirandis rei litterariæ incrementis petet argumentum. Nec absurde profecto. Quicquid enim in liberalibus disciplinis in cultum, informe, atque sepultum olim iacebat, nunc elaboratum prodire, nitori suo restitui, ac animam quasi recipere, videmus. Eundo creuerunt litteræ, vt fama; hinc argumentis scientiarum indies locupletamur. Ne singulas (prout vulgo vocantur) Facultates percurramus, in Iurisprudentia nostra mirificas accessiones quis non deprehendat? licet hæc in se vastissima sit propter infinitas materias, quibus occupatur, licet diffusissima, propter diuerfas partes, quibus absolvitur, adeo tamen hodie exculta, vt, quæ ab antiquis ICris breui commentatione tractari cœpta, nunc iusto volumine complexa, quæ ab illis incidenter tacta, nunc integro tractatu explicata possideamus. Inprimis autem ad illustrationem Iurisprudentiæ plurimum conduxisse Disputationes publicas

A 2

SP
P R A E F A T I O .

4

blicas certum est, quibus ex more Academiarum vetustissimo singulares casus, negotia, leges atque controuersiae resoluti explicarique consueverunt, qua ratione factum, ut numerus Disputationum Iuridicarum in tantum excreuerit, ut etiamnum, quandocunque aliquod thema publico loco discutiendum, nisi crambem bis coctam apponere velis, necesse sit, diligentissime inquirere, num forte ab alio iamdum per tractata sit materia proponenda. Idem in praesens mihi curae fuit, ac opportune satis. Cum enim inauriali specimini destinatam materiam exorsus essem, oblatam est ab amico praeter opinionem eiusdem argumenti Disputatio ante plures annos habita, eadem plana methodo conscripta. Mox ergo mutavi consilium, & missa priori, materiam praesentem de iure spectrorum ex multis, quas hactenus animo volueram, selegi, curiosam in primis, nec tamen ut spero, inutilem. Quo rario enim in Commentariis iuris ciuilis spectrorum occurrit mentio, eo magis ex usu communi futurum censui, si ea, quae quotidiana tantum non praxis postulat, breuiter exponerem, licet rationibus magis fulta, quam allegatis Doctorum inuicem dissentientium stipata. Vnde simul clarescit, non esse adeo sterilem hanc materiam, qualis primo intuitu videtur, quin & fortassis utiliorem illis tricis, quas ex iure antiquo (Romano vel etiam Iustiniane) multo conatu exsculptas non nulli citra omnem applicationem interdum propoununt, queis gloria Dei vel salus Reipubl. nostrae parum, credo, prouehitur. De cetero propter temporis angustiam aliaque impedimenta prolixiores esse hac vice non licuit, interim, si Deus vitam viresque concederit, forte reassumendi operis aliquando dabitur occasio.

§. I.



§. I.

Quemadmodum summus rerum opifex ab initio omnia in gratiam hominis ineffabili bonitate varietateque produxerat, sic ut nihil plane recens creato orbe contineretur, quo non homo vel ut liberrime, vel insigniter delectari posset; ita etiam vicarium quoddam in res omnes creatas imperium simul ipse concesserat, cuius exercitio summa cum constantia mentis impigre frueretur, metus omnis expers atque ignarus, quod ab omni aduerso imperio satis se tutum sentiret. At, postquam homo satanæ impulsu deflexit a recto mandati diuini tramite, deiectus est in continentia ab ista tranquillitatis animi felicissima possessione, simulque ita meticulosus ac timidus evasit, ut nunc vel ad folii strepitum expauescere soleat, qui antehac ipsius Dei maiestatem nunquam reformidasset. Miserrima hæc mutatio hominem eo perduxit, ut non tantum bruta animantia plebraque, verum & satanam, qui tamen in ministerium ipsius initio creatus erat, omnium maxime metuat. Et quidni merueret infensissimum hostem, qui obambulat tanquam leo rugiens & quærerit, quos deuoret.

i. Petr. V. v. 8. Sicut enim non potest non esse terribilis vel ipso nomine suo, ita etiam quæcumque tandem in vniuerso terrarum orbe ab illo effecta dantur, ut que directo in terrorem, imo perniciem atque exitium hominis cedunt. Cumque eo maiorem nocendi videat occasionem, quo proprius sensus nostros exter nos accedere potest, ideo variis representationibus in terrorem compositis vti, iampridem solenne ipsi fuit, quibus tum lacerare tum illudere satagit; & haec quidem communis omnium voce spectra vocari con-

*Deus homini
in creature
omnes Imp-
rium sine
metu con-
cessit.*

*Per lapsum
meus inua-
sit menem
hominis.*

*Inde Sata-
nam metuit.*

*Et spectra a
Satanæ pro-
ducta.*

D.S.P.

DISSERTATIO JURIDICA,

sueuerunt, de quibus in præsens, quatenus eorum in iure nostro ratio habenda sit, pauca differere constituimus.

Vnde spectra dicantur?

*Eorum descrip.
tio.*

*Differentia
a visionibus
divinis.*

*De diversi-
tate Spectro-
rum appa-
rentium.*

§. II. Ut igitur ordine procedat tractatio, nominalem atque realem descriptionem more consueto præmittimus: Dicuntur sine dubio spectra ab antiquo verbo specio, quod idem notat ac video, quia visu plerumque percipiuntur imagines illæ. vid. G. I. Vossius in *Etymolog. sub voce specio*. Beumannus de orig. lingv. lat. p. m. 1074. vnde etiam visiones interdum appellantur, Græcis φάντασμα, sic enim reddidit Erasmus in cap. Matth. 14. Germanice, Gespenst, Poltergeist, frequentius enim apparent cum tumultu. Sunt autem spectra, Spiritus maligni in variis formis apparentes, vel non apparentes, & tamen præsentes, tum homines, tum loca infestantes, terrendi aut nocendi causa, pro modo diuinæ permissionis. Vbi per se facile patet, nobis hic non esse sermonem de visionibus illis, quæ interdum ab ipso Deo piis ostenduntur, in solatium, vel ominis causa, vel præmonitionis, cuiusmodi haud paucas in S. Scriptura memorari nouimus, vid. Act. 12. v. 9. cap. 16. v. 9. cap. 27. v. 23. Et enim his nec nomen spectrorum latinum, nec græcum φάντασμα, nec vernaculum Gespenst proprio & accurate loquendo tribui potest.

§. III. Licet ergo spiritus illi unius eiusdemque originis ac naturæ sint, adeoque in se vix inuidem distinguendi, secundum apparendi modos tamen multiplices, multifariam quoque denominari & differimini solent. Sic enim, ut potissima tantum annotemus, spectra domestica, lares, lemures, Haubz-Götter, & in specie Kobold vocantur: quæ in aquis (flumi-

925.

DE JURE SPECTRORUM.

(fluminibus) visuntur, nymphæ, Nire, Wasser-
Frauen, antiquorum forte Sirenes, Nereides, Naia-
des: in aere conspicuntur draco volans, vulgo der
Drache: In sylvis ac locis desertis Feld-Geister, vid.
Eso. 13 v. 22. Feld-Geister. Esa. 34 v. 14. antiquis, satyri,
fauni: in montibus, Berg-Götter, ut famosum est spe-
ctrum montis gigantæ, der Rübezahl, de quo Io. Præ-
torius *speciali commentatione*: in metallifodinis Berg-
Männigen, vid. Casp. Posneri, *de virunculis metallicis*
Disp. anno 1667. Iena habita, diuiduntur ab Agricola in
lib. *de animal. subterrani*. in mitiores, qui neminem la-
dant, & crudeliores, qui haud raro mortem inferant
metallariis, vid. Io. Prator. *Anthropodemo Plutonico p.*
m. 139. Sic etiam speciali nomine apud Iudeos olim
celebre fuit Spectrum diabolicum Lilith, forma mu-
liebri apprens, quod infantes circumcidendos qua-
ndoque occidere vel secum prorsus asportare consue-
uit. Frommannus *de Faschinor. l. 3. part. 7. c. 2. f. 2.* Bo-
dinus *Dæmonom. p. 37.* Nec infrequens mentio apud
veteres Lamiarum, quæ secundum Becm. *de orig. t. t.*
p. m. 504 erant spectra formosa mulierum specie ap-
parentia, hinc amore iuuenum sece captas mentie-
bantur, dum eos perderent ac deuorarent. Huc
pertinet incuborum & succuborum notissimum no-
men, quatenus scil. non morbum illum, de quo co-
piose agunt medici, sed dæmonem insultantem, (E-
phialten & Hyphialten) significat, quæ res ex con-
fessione sagarum infinitis exemplis certiorari potest.
Fromm. *d. t. p. 874.* Et hæc de formis apparentium
dæmonum præcipuis: ubi obiter adhuc notamus,
quamvis diabolus humana specie nullam libentius si-
bi adoptare soleat, nūquā tamē tam commode
illam

250
8. DISSERTATIO JURIDICA,

illam effingere, quin facus etiam simplicioribus apparet: nam aut in vultu fceditas est ac turpitudo, aut vncis hamisue instar vulturum pedes manusque deprauatos habet, aut denique insigni aliqua nota, quæ naturæ immunditatem prodat, conspicuum se ostendit, quæ Nicolai Remigii verba sunt, lib. i. Dæmonolatriæ p. m. 51.

De spēctris
non appa-
rentibus.

in & meri-
cū compa-
reant?

§. IV. Præterea etiam non apparentes Spiritus maligni Spectrorum nomine veniunt, quando tumultus excitant, etiam in domibus turbant, ollas, patinas &c. subvertunt, scamna, mensas per scalas deiiciunt, horrendas voces variosque sonos edunt, & id genus alia, vbi omnino per sensus externos certiores fieri possumus de præsentia Satanæ, licet nihil videamus. Et hoc specialiter, puto, vernacula nostra dicitur spükken, es spüket. vid. B. Dn. Seckendorff Christenstaat p. m. 47. qui de experientia propria in huiusmodi casu testatur.

§. V. Denique, vt ut princeps tenebrarum nocturno tempore, quia hoc in se horroris plenum est, plerumque terribiles spectrorum larvas ostentare solet, nescio tamen quo pacto etiam ipsa meridies & olim & hodie communi opinione suspecta habita fuerit eo, quod operosum præcipue circa illam diabolum antiqui crediderint, quo trahunt nonnulli verba Psalmi 91. v. 7. Non timebis a timore nocturno, a sagitto volante in die, a peste perambulante in tenebris, ab incurso & dæmonio meridiano, prout vulgata versio habet; cui quidem fontes repugnare interpretum aliqui aduentunt, vid. Geier in Comment. ad Ps. p. 274. Chaldaeus ramen cateruum dæmonum expresse intelligit, & Baius in b. Ps. obseruat, daß die alten teutschen Bibeln ante

928.

DE JURE SPECTRORUM.

Ante Lutherum vertirt, sezen hie einen Mittags-Teufel.
conf. Arndt. in b. I. & Celeb. Wedelius *Diss. Medica de
Spectris cap. 1.* Quicquid sit de illo loco, res ipsa, vel
certe persuasio (de meridie) illa inter omnes rurico-
las constat.

§. VI. At vero, ne gratis haec omnia, quæ de
Spectrorum natura ac distinctione hactenus memo-
rata sunt, dixisse non quisquam existimet, ideo quod
ipsa Spectrorum existentia in incerto adeo posita sit,
ut vocularum nūgis & imperitorum fabulis potius
quam veritate orta videatur, hinc maximopere ne-
cessarium fuerit, antequam de iure spectrorum aga-
mus, breuiter, quo fundamento res illa tota nitatur,
discipere. Evidem superiorum seculorum tem-
poribus de veritate Spectrorum vehementer dubita-
tum esse, ab iis præcipue, qui supra vulgus sapie-
bant, nihil miror, cum nimis enormes atque crassæ
monachorum fraudes, qui sicutis spectrorum territo-
nibus nescio quæ commoda sibi conciliare consue-
rant, suspecta omnia tunc reddiderint, dum variis lu-
dibriis incautos decipiebant, in primis religionis, aut
potius superstitionis, sue confirmandæ gratia. Sic
enim frequentissima exempla in illorum temporum
scriptoribus inueniuntur de apparitionibus fictis ho-
minum recens defunctorum, qui flebili vtrplurimum
voce ab amicis expetiuerint deprecationes sacrificu-
lorum iusta mercede conducendas, ut eo citius dimi-
terentur e purgatorio. vid. Delrio *Disquis. mag. Tom.*
1. p. 233. Pexenfelder *Concionat. Histor. p. 1. p. 331.* Eras-
mus *Epistolarum lib. 22.* vbi notissimam, de parocho,
cancris in cæmitorio dispositis, homines deludente,
historiam refert. Conf. Sleidanus *l. 9. Comm.* quo ipso

An re vera
dentur Spe-
ctra?

Dubitatum
fuit de eo-
rum existen-
tia superio-
ribus seculis.

B

&

DISSERTATIO JURIDICA,

& huius generis aliis commentis antiquissima & patrum memoria iamduum inolita opinio de animabus mortuorum hinc inde circumuagantibus egregie confirmata fuit, quam in rem B. Lutherus *Tom. 5. germ. Ien. tract. des Fegefeuers Wiederruff*, fol. 168. inquit: S. Gregorius zeigt an viel Exempel von den Geistern so erschienen sind, welchen er als ein gute einfältig Mann geglauft, als wären Seelen, da nun offenbar ist, daß Teufel sind. Hinc etiam est, ut opinor, quod interdum de mortuis nostra lingua dicamus, daß sie irre gehen.

*Lutheri tem-
poribus non
omnia Spe-
ctra negata
sunt.*

§. VII. Post restitutam, ministrante Luthero, Euangelii lucem, vana quidem persuasio de animalibus defunctorum sublata est, ac Spectra tamen nullo modo exinde negata: sic enim diserte Sleidanus *cir. loc. g. vbi spectra in regno pontificio creberrima fuisse memorauerat, subiicit: sed postquam innovuit & aliquid roboris offumfit Lutheri doctrina, paulatim euanuerunt eiusmodi spectro. Docet enim Lutherus e sacriss. litteris, mortuorum animos quiescere & iudicium diem supremum expectare: turbas autem illas atque spiritus formidolosos & phantasmata per Saranam excitari dicit, qui nullam praetermittant occasionem ut impios cultus & falsas opiniones in animis hominum confirmet & Christi seruatoris nostri beneficium extinguat. p. m. 242.* Ita etiam anno 1570. iamduum Ludou. Lauaterus, Theologus Tigurinus. peculiarem libellum edidit *de spectris*. in cuius parte prima, quod spectra & Spiritus omnino existant & interdum hominibus occurrant, ostendit, quia scilicet tunc temporis multi, non solum homines plebeii, sed etiam excellentes viri (ut ipsius verba habent in Epist. dedicat.) mirabantur, an sint spectra, & quidnam sint: Quo loco meminit Riuji qui de eodem arguento eleganter scriperit.

§. VIII.



§. VIII. Nostro deinde seculo, primum, quod *Nostro seco-*
sciam reperti sunt, qui spectrorum omnem mentio-
nem ridere, & historicas de iis narrationes anilium
fabularum loco habere, ipsamque adeo existentiam
eorum penitus negare non dubitant: sed hi quidem
non vnius generis sunt, nec iisdem omnes argumen-
ti id efficere conantur, nec eodem animo. Etenim
nonnulli contra conscientiam, (vt vulgo dicitur) spe-
ctra dari negant, cum tamen de falsitate rei nequa-
quam conuicti sint, tantummodo, quia nescio qua
generosa indoles hodie habetur, ea, qua vulgo etiam
vera creduntur, audacter impugnare, licet argumen-
ti in contrarium non adeo sis instruetus. Alii, dum
apparitiones dæmonum in vniuersum oppugnant,
ipsa disputandi methodo rem totam adeo involuunt,
vt ex dubiis dubia serere, atque incerta magis incer-
ta reddere videantur, quos inter iure meritoque cen-
sensus, vir haud vulgaris ingenii, Balthasar Becke-
*rus, ex libro, quem *fascinatum orbem* inscripsit, notis-*
simus, hic enim (ipse propemodum vanæ philoso-
phiae fascino impeditus) dum ea, qua manibus tan-
gi poterant, illustrare ac plana facere spondet, maio-
rem inducit caliginem, quin & vndique conquisitis
ratiunculis scripturæ S. tantum non omnem perspi-
cuitatem, ne dicam, veritatem, euertit. Scatet sane
ille liber infinitis contorsionibus, fallaciis, falsisque
hypothesibus, nec dimittit lectorum nisi hæsitantem
ac dubium. Notabile est Petr. Poiret iudicium in
part. 3. ver. met. inuen. verit. p. m. 170. Misera & agra ra-
tio, libri dicti consarcinatrix, audaci & temeraria sui pba-
lerarumque suarum confidencia plena, tam stupendas &
pudendas illic propalauit artis suæ absurdæ opiniones, ut si

DISSERTATIO JURIDICA,

illustre aliquod exemplum intellectus bistrionici, cum naturalibus diuinis humanisque incredibili lascivia ludentis & bistrionicae sua colliditatis atque attuoratis ultimos conatus re & stylo exhibentis proferendum esset, nullum posset produci insig. ius. Et hoc quidem ceteris hominum intellectibus bistrionicis & actiuis non poterit quoque non summopere arridere ob conuenientiam inter se mutuam insanæ dispositionis, quemadmodum videmus comedias, quo magis temeraria, absurda & ridicula continent, eo magis versatili cerebrorum indoli sapere. Vid. omnino Melchioris Leydeckeri, Prof. Ultraject. *Dissert Historico-Theologico Beckero opposita, quæ prodit anno 1692.* Conf. Lud. Benthem *Hollandisch. Kirchenstaat part. 2. cap. 2.*

*Quidam o-
mnia natu-
ralibus cau-
sis adscri-
bunt.*

*Ahi Melan-
cholia ad-
scribunt.*

s. 55. & seqq. Alii, quiequid de Spectrorum apparitione pariter ac stupendis effectibus circumfertur, simpliciter naturalibus tribuunt caussis, atque ex physicorum scholis bene multas afferunt rationes mirabilium phænomenorum, quæ, quod rudioribus incognita sint, dæmoniaca facile eredantur, addunt etiam artificiosas quasdam effictiones, quæ ad spectrorum instar proxime accedant. His autem Beatisimi Arndii verba, *conceive 3. in Ps. 91.* responsi loco inculcamus: Der Satan mischt sich oft in natürliche Wirkungen mit ein, denn er sieht immer, wie er der Natur brauchen möge zu seinem Vortheil, daß er sein Werk mir durchtriebe. Alii porro mere imaginationi, melancholia, vel stupori expauescentium & meticulo-sorum hominum adscribendam spectrorum opinionem autumant; verum, vrit facile largiamur, multos & olim & hodie (præsertim conscientiae stimulis anxious) quamcunque horribilem speciem pro spectro habuisse, cum secundum *Sap. c. 17. v. 12.* tremens conscientia

928.

DE JURE SPECTRORUM.

13

conscientia subinde metuat pessima fata, vt tamen
hoc negare non nisi pertinax potest, ita ex eo, quod
semel atque iterum forte accidit, generaliter pronun-
ciare nimis temerarium existimamus. Sunt præter-
ea non pauci, qui, si verum fatendum esset, non aliam
ob rationem spectra rident, quam, quod per incredu-
litatem mentis suæ eo ducantur, vt nullos omnino
Spiritus credant, quale quid de Sadducæis S. Historia
refert *Act. 23. v. 8.* Et hi quidem pestilentissimo er-
rore laborant. Certe enim, si quis vila vnquam spe-
ctra reuera apparuisse perneget, illum ego de iphis
maligni Spiritus existentia dubitare, firmiter statuo,
& si perfret in ea sententia, atheismo proximum iu-
dico.

*Quidam ne-
gant, ob in-
credulitas.
tem.*

§. IX. Nos, non attentis hisce, vt breuibus
thesin nostram complectamur, statuimus cum Celeb.
Wedelio in *Diss. supra cit.* non omnia spectra esse spe-
ctra, nec nulla tamen. Quod vt probatum demus
vñterius, merito primum ex S. Scripturæ testimonió
petimus argumentum, cui adeo non ignorantur spe-
ctra, vt plurimis locis eorum diserte mentionem fa-
ciat. Ex antiqui scederis libris, præterea, quæ supra
ex *Esa. 13 & 34* adducta sunt, huc pertinet *cap. 17. lib.*
Sap. v. 4. seqq. vbi auctor clarissime refert, Ægyptia-
cos olim spectris perterrefactos & monstros eorum
exagitatos fuisse. Quin & realis apparitio spectri
diabolici Regi Saul facta memoratur i *Sam. 28* nisi
verum Samuel ibi intelligere malis, quod tamen
absurdum vtique videtur, quis enim crederet, ope
mulieris, quam textus expresse vt sagam depingit,
beatissimam diuini Viri animam excitatam fuisse *Ca-
pit. nec mirum. cap. 26 qu. 5.*? Vid. Anton. van Dale de
101097

*Nostra sen-
tentia affir-
maiva.*

*Probatur
autoritate
S. Sacrae.*

B 3

Diuinos.

Divinat. Idololatri. p. m. 611. & seqq. qui ventriloquam fuisse mulierem illam multis rationibus euincere co-natur. Conf. Io. Olearii *Biblische Erklärung Tom. 2.* p. 135. & 137. vbi Lutheri hac de re sententiam in fine subnecit. Singularis plane est opinio anonymi Au-toris, qui Anno 1698. breui commentatiuncula, sub titulo: *Der nach seinem Tode weissagende Prophet Samuel.* Sanctum Samuelem rueru apparuuisse de-fendit, in eo propemodum superstitiosus, quod ex reverentia erga B. Lutherum dissentientem nomen suum celasse scribit, cum tamen aliter sentiendi libertatem sibi fuisse, argumentis sat bonis, ipse mox adstruat. Add. Lucas Osiander *Comment. in b.l.* Ex Novo Te-stamento notissima est historia de discipulis Seruato-ris nostri, qui, conspecto magistro suo noctu super mari ambulante, conterriti, præ metu exclamarunt: *Est spēctrum:* indicio manifesto, tunc temporis et iam hominibus, quin spēctra dari crederent, nihil du-bii superfuisse *Mattb. 14. v. 27. Marc. 6. v. 49.* Simile quid post resurrectionem Christi contigit, prout refert *Lucas cap. 24. v. 37.* cum Saluator clausis ianuis ex improuiso ingressus valde turbaret animos eorum, quia spiritum, h. e. spēctrum, videre sibi videbantur, vbi Christus ad hanc persuasionem tollendam non negat dari Spectra, quod fecisset, si non darentur, sed, *Tangite, inquit, & videte, non enim spiritus habet os-sa & carnem, quam babere me cernitis.* Nec est, cur quis opponat: scripturam hic & similibus locis non secundum rei veritatem, sed solummodo ex opinio-ne vulgi talia exponere: quāro enim, vndenam hæc hypothesis, (alias non ignota) probatur? quod si di-cas: valde probabilem, regero, non minus probabi-
len.

Iem esse, sententiam eam negantium, eo quod Christus nunquam exprobraſſe legitur discipulis tamquam erroneum aut absurdum, quod crederent appetiones spirituum.

§. X. Deinde clarissimorum virorum consensum ac testimonia ad confirmandam theſin noſtram in medium proferre haud difficile quidem foret, patrum ſcil. antiquae Eccleſiae, ſimil ac nostri temporis, Theologiae, Medicæ, Phyſicæ, atque in vniuersum omnis philoſophia Doctorum: at quia non ignoro, populares errores, quibus ex mente contradicentium opinio de ſpectris annumeranda, haud raro eruditissimos etiam viros tenere, idcirco huic labori ſciens volensque ſuperſedeo, ne quis forte excipiat, aliud ſubinde ab alio in eandem ſententiam, licet falſam, facile pertrahi potuiffe, nec tamen inde errori patrocinium parere errantium multitudinem.

§. XI. Palmariam vero ad euincendam ſpectrorum existentiam probationem ipſa ſubministrat experientia omnium optima magistra: ſiquidem ea præualeat cuicunque praſumptioni vel conieeturæ, quin etiam in illis rebus, quarum cauſas & naturam aſſequi vix poſſimus, nos edocere vna ſolaque po-
Ipsaque ex-
perientia.
Igitur, ſi veteris ac nouæ historiæ monumenta euoluamus, proh, quanta ſege exemplorum in hac materia ſeſe prodit! Quantum enim ad gentiliū ſcriptores, notiſſima ſunt, quaꝝ Plutarch. *in vita Dionis, Theſei, Cimonis, Brutii, atiorumque* varia ſpectrorum genera narrat, itemque Val. Maximus *Lib. i. cap. 6.* de Caffio I. Cæſarem mortuum vidente, rum & Dio Caſſius *lib. 55.* de Druso, qui a muliere humana forma maiore

iore vltiori ad Albim progressu prohibitus. Quibus merito addas Plinii secundi perulgatam de Athenodoro narrationem. lib. 7. Epistolarum. Ex historia Ecclesiastica præter ea, quæ Sozomenus lib. 6. c. 28. & 7. c. 23. refert, memorabilis est historia de B. Martino, cui diabolus, specie quadam venerabili ac splendidissimo habitu, adstitit, Christi personam mentitus, ut exacte recenset Sulpit. Sev. in *Histor. Martini*, qui ex ipsius Martini ore hoc ita gestum cognovit, ne quis forte existimet fabulosum. Plura huiusmodi in vitis patrum passim occurunt. Huc referenda famosissima de pueris Hamelensis historiæ, quam in archiuis Hamelæ religiose conscriptam custodiri testatur Wierus de *præf. dæm. t. i. c. 16.* hanc inter fabulas referre peculiari libello conatus est Mart. Schoekius, sed refutatus a Dn. Kirchmaiero, *pec. disput. anno 1671. Wartebergæ habita.* Ipse B. Lutherus, yti speætra dari omnino nunquam dubitauit, ita reales etiam sibi factas apparitiones dæmonis hinc inde in scriptis suis meminit, & cumprimis in arce Wartburgensi prope Isenacum, variis tumultibus diaboli turbatum se, conqueritur. Insigne plane exemplum recenser Godelmannus de *sagis lib. i. c. 3. n. 8.* dignum quod hic legatur ipsius verbis: *Lutheri aedes accessit aliquando monachus foræ vehementer pulsans, cui cum famulus aperiret, ac sciscireretur, quid vellet; num domi esset Lutherus? querit monachus.* Re cognita Lutherus eum ingredi iubet, quod nullum muleo tempore vidisset monachum. Ingressus hic se quosdam errores popisticos babere ait, quorum nomine libenter cum ipso conferret, proposuitque syllogismos, quibus haud difficulter a Lutero solutis, alios protulit explicatu non minus faciles, unde offensus nonnihil Lutherus in bæc

930

bac prorupit verba: mulzum mihi facefis negotii, aliud enim, quod iam agerem, erat; simulque surgens loci a Monacho propositi explicationem ostendit, et que in eiusmodi collatione, cum manus monachi non esse avium vnguis dissimiles animaduertet, inquit: Tunc is es, ausculta, sententia hæc aduersus te pronunciata est, & mox locum in Genesi monstrat: semen mulieris conteret caput serpentis, inde subiungit: nec cunctos tu degluties. Hoc dicto vicitur dæmon abiit, elso crepitu non exiguo, cuius suffitmen tetri odoris dies aliquot redolebat hypocaustrum. Recentiora tandem si quis desideret, vel hic in patria mea notabile spectri cuiusdam, quod singulare nomine Rosbold vocant, exemplum actis publicis continetur. Simile spectrum Gehouæ nobilem familiam infestauit anno 1683., de quo specialis narratio prodidit Pastoris Gehouensis Leonh. Thalemann. sub titulo: Eigentliche Beschreibung des Gehovischen Nonnen-Gespenstes so sich begeben mit des Hoch-Edlen Herren Georg Sittichs von Eberstein Ehe-Liebsten ic. 1684. in 4to. Non minus stupenda ac pene inaudita sunt, quæ Annabergæ a spectro perpetrata sat fuse traduntur in der Ebenthalichen Beschreibung des Gespenstes, welches in einem Hause zu St. Annaberg im 1691. Jahr viel Schrecken, Furcht und wundersame Schauspiele 2. Monath lang angerichtet, beschrieben von des Hauses Eigenthüms-Herren, M. Enoch Zobeln, Archidiacono daselbst. Hamburg in 8vo Anno 1691. in pago Obercrossen dicto, spiritus, sub specie columbae interdum visibilis, domum quandam valde inquietabat, qui, ater an albus esset, varie tunc disceptabatur; certe iudex loci, ex officio in rem omnem inquirens, nihil fraudis subesse deprehendit. Huc referenda, quæ rustico prope Vinarium, anno,

ni fallor, 1696, contigisse constans fama retulit, fusius iam tractanda, si germanica de illo casu narratio ad manus esset. Denique in vulgus notum apud nos puto, quod Berolini alba fæmina, Dresdæ Monachus, toties conspicatur ab aulicis, quoties vni ex serenissima familia mors proprius imminet, quod signi etiam paulo ante obitum Electoris Friderici Wilhelmi Gloriosiss. mem. obseruatum ex more dicitur. Gemina his apud Cardanum *de rerum variet. lib. 16.* leguntur. De vtroque autem, Berolinensi & Dresdeni spectro, mirabiles historias vid. im höllischen Morpheus Petri Goldschmidts, Pastoris Sterupensis, itemque alias complures varii generis, quas ex manuscripto primarii cuiusdam nobilis Hollstati modo dictus Auctor numero 13. ordine recensuit. Vnam ex his consulto transcribere placet, quod in primis fidem mereri videtur: Est autem numero 13. historia, & ex tenore manuscripti talis: Der Churfürstliche Brandenburgische Hoff-Prediger Herr Ursinus, hat mit selber erzehlet, daß wie er das erste mahl hat predigen sollen, und bey Nacht auf die Predigt studiret gehabt, der Teuffel das Licht dreymahl ausgeblasen, so daß er das Blasen habe hören können, ohne daß er etwas geschen. Und wie er das Licht wieder angezündet, und in seiner meditation nicht wollen hindern lassen, hat der Teuffel auf dem Spinette, so in der Kammer gestanden, angefangen zu spielen, worüber er sein studiren hat quittieren, und zu Bett gehen müssen. Ultimo in gratiam irrisorum annexiterem notissimum Professoris Viadrini Martini Schookii, spectra negantis, exemplum, nisi laborem hunc iandum anticipasset Celeberrimus Kirchmaierus in disput. de spectrorum apparitionibus &c. Wittebergæ anno 1692. habebit, ubi s. g. post

931.

post enarratam Schookii historiam: *Possimus, inquit, illi alium adiungere Collegam olim, virum magni nominis & meritis & scriptis pro re litteraria egregium, qui posteriores cogitationes a prioribus distinguere, experientia edocet, didicit, spectrorum hodie affertor.* Ceterum, præter rem, quin ex falso potius preiudicio, supra memoratus Autor des höllischen Morpheus incusat B. Pufendorfum, cap. IV. p. m. 133. ita pergens: der zu unsren Zeiten bey der politischen Welt so hochangesehene Pufendorf will etwas und auch nichts von den Erscheinungen halten, und lässt also in diesem Stück seinen indifferentismus naturalisticum, wiewol mit ganz bescheidenen Worten, in ansehen der obhembelten, gnugsam blicken, da er in seinem Gedächtnis zu seinen Freunden in Deutschland also redet: *Quod spectra peculiarem articulum fidem constituant, nondum audiui. Super quibus si quis me ad inquisitionem trahat, ita respondebo; me nunquam spectrum vidisse, nec ut videam, cupere; ab imperitis hominibus multa nocturno metu & errore caliginis aut illusionibus aliorum fingi putare, omnibus promiscue fidem detrahere, temerarium censere.*

§. XII. Hactenus ergo de spectris in genere egimus, eorumque existentiam asseruimus, nunc ad iura nos conferemus, frequentiores casus adducendo & iura iisdem applicando: eum vero seruabimus ordinem, ut prius de negotiis ciuilibus, postea de criminalibus agatur. In ciuilibus principale est ius personarum, atque illustris sponsaliorum & matrimoniorum materia. *Quodsi itaque sponsalia inita sint cum femina, quæ a spectris continuo diuexatur, spectra sponsaliorum.* An propter queritur, numne dissolui sponsalia queant? Est uti-salia dissolui que experientia comprobatum, quasdam personas possint?

C 2 mal-

malignis spiritibus absque intermissione exagitari, cuius fati causa, quæ sit, nostrum non est inquirere, quis enim diuina iudicia explorare valeat? Interim si sponso vel sponsæ tale quid forte contingat, num altera pars ad consummationem matrimonii inuita adigi possit, distinctius considerandum. Et si quidem iam ante contracta sponsalia hoc malo infestata fuerit contrahentium altera pars, quin ad dissoluendum agere possit qui eius rei ignarus erat, nulli dubitamus, cum nihil tam contrarium consensui sit, quam error, *L. 15 ff. de mīnd* & hinc omnes contritus propter errorem dissolui soleant. *L. 57. ff. de O.* & *A.* vt adeo idem de sponsalibus omnes DD. communiter afferant. Hoc tamen in contrarium moueri posset, quod hic error videatur versari circa accidentalia negotii, iam autem iure Canonico distingui soleat, an commissus sit circa substantialia, an circa accidentalia sponsaliorum, *Can. un. cauſſ. 21 quaff. 1* quam sententiam DD. quoque receperunt, adeoque propter errorem circa accidentalia dissolutionem non concedunt. At vero, vt breuitatis causa, nunc non iudicemus de hac distinctione, illud nobis sufficiat, quod saniores ex DD. in genere toties concedant dissolutionem, quoties alter desponsatorum, si cauſam ignoraram sciasset, sponsalia nunquam contraxisset. Nicolai *de repud.* & *diuort. cap. 2. n. 4.* Sanchez *de matrim. l. 1. Disp. 62.* Lessius *de Inst.* & *Iure lib. 2. c. 18. dubit. 10. n. 72.* & *seqq.* vbi hanc rationem subiicit: Quia secundum affectum & intentionem, quam habebas promittendo, non censeris te voluisse obligare ad impiendam promissionem, si talem defectum in ea deprehenderes. Quo & pertinent B. Luther *verba lib.*

von

932.

von Ehe-Sachen Tom. VI. Wittenb. fol. 269. Wann ein Mann solchen Mangel hernach an seiner Braut findet, daß er sie nicht genommen hätte, wo er zuvor hätte gewußt, soll er ja billig frey seyn, sie zu lassen, denn er hat sie mit solchem Zusatz nie bewilligt zu nehmen. Quodsi autem altera ex despoinatis personis sciuerit hoc ipsum, aliud omnino dicendum vnuisque videt, cum sic tacite quasi promiserit, eam alterius sortem patienter selaturam.

§. XIII. Sed hoc ita, si ante celebrata sponsalia spectris inquietatus fuerit vnu ex contrahentibus. Maior difficultas erit in casu, si sponsalibus rite initis hoc infortunium superveniat. Hic sane videbatur, locum dissolutioni sponsaliorum non esse, cum non constet, quis in culpa sit: saepe enim ob alterius peccata spectris alter vrgetur, tanquam in pcam, quod cum ille negotium habeat. Imo haud raro iis, quibus apparent spectra, terrorē incuriunt minorem, præ illis, qui, licet præsentes, excepto strepitu actu multu, nihil animaduertunt. Verum & hoc casu idem statuere non veremur: cum in genere hic DD. iterum afferant: Quoties post contracta sponsalia eiusmodi superuenit incommodum, quod, si ante præuisum fuisset, alterum a sponsalibus deterruisset, toties locus est repudio. Gerhard. *Loo. de coniugio* ff. 167. in fine. Browwer de *Iure connub.* l. 1. cap. 25. n. 9. Bruckner *Dicif. Matrim.* cap. 1. n. 86. Menoch. de *A I Quaest.* l. 2. Cas. 455. n. 2. Carpzov. *Iurispr. Conqst.* l. 2. Def. 176. n. 9. Iam autem nullum dubium est, si hæc sciissent contrahentes, nunquam eos in tam arctam societatem coiuisse. Hoc tamen ipsis loco temperamenti adhibenduni, ut prius deuotis precibus a DEO Optimu-

*Quid si pse.
cta post
contra
sponsalia
appaream?*

Maximo auxilium expetant, &, si nihilominus non cesserent maligni Spiritus, tandem a sponsalibus recedant.

An matrimoniū dissoluti posse propter peccata.

§. XIV. Quid vero dicendum de matrimonio ipso iam consummato? Nouimus eiusmodi tristem casum in famosa ciuitate extitisse, vbi mulier vere pia Deoque addicta mirum in modum a spiritis cruciata fuit, sputis enim obruta ad calcem usque, stercore omnia circa illam obducta, mobilia vidente muliere ablata & concremata, ut hac ratione, licet alias bonis sufficientibus instructa, ad summam pauperiem redigeretur. Illa vero haec omnia æquo animo tulit, & quo maiorem vim cacodæmon adhibuit, eo ardentioribus precibus Deo sese commendauit, in quo exercitio virtutis adhuc perdurat, quamuis, an recesserit nunc Satanas, ignoramus. Quid vero tali casu pronunciandum, annon maritus iure meritoque agere ad diuortium posset, maxime, si & ipse suarum facultatum simul iacturam sentiret? Grauis est atque anceps haec quæstio, sed tamen, saluo aliorum iudicio, negatiuam amplectimur sententiam. Est enim matrimonium Christianorum indissolubilis societas, in qua coniuges utriusque fortis socii, ac non in secundis tantum, verum etiam in aduersis rebus sibi inuicem adiumento & solatio esse debent. Idque in hoc casu eo magis, quo certius est, a solius Dei prouidentia hoc incommodum euenire, ut tententur coniuges, an in patientia perstare, Deoquesoli confidere velint.

An territorio-nes spirituum causam

§. XV. In materia tutelarum, quæ ad iura personarum pertinet, offert se quæstio, num legitima excusationis causa sit, si domus pupilli spiritis frequenter?

933.

tetur? Evidem inter caussas ab Imperatore Iustini-
ano in Digestis & Institutis recensitas hanc non repe-
riri, facile concedimus: verum, cum non omnes
caussæ, maxime, ab Imperatore non præuise, expre-
ſæ sint, sed tantum minores, ita tamen, ut maiores
non excludantur; inde & hanc ob cauſam tutor a
tutela, vtpote quæ iam in ſe ſat magnum onus con-
tinet, excuſationem merebitur, modo omnes vias
tentauerit, pupillum in alia domo educari curauerit,
& tamen nullum modum evadendi inuenire potue-
rit. Sed annon erit iniquum ita pupillum defere-
re? Videlur, at non eſt. Non enim delerendus ideo pu-
pillus ab omnibus: poſſunt interim bona eius alii ad-
ministranda concedi & ipſe piis facerdotibus com-
mitti, qui precibus pro auertendo hoc malo Deum
implorent. Tutorem vero ad omnes illas molestias
adigere velle, iniquum omnino videtur.

§. XVI. A iure personarum ad ius rerum de-
ſcendimus, & quidem ad primam iuris in re ſpeciem,
dominium, quod per accessionem quoque fortuitam,
inventionem ſcilicet theſauri, acquiritur. Hic vero
ſatis notum in vulgus eſt, quam frequens circa the-
ſauros ſpectrorum apparitio, vt poſſidere quaſi &
cuſtodiſ ſpectra eosdem videantur. Inde in gene-
re quaeritur, an ſalua conſcientia occupare liceat e-
iusmodi theſaurum a ſpectro cuſtoditum? Vbi qui-
dem diſputare nolumus, qui contingat, ut prope lo-
eos theſaurorum plerumque ſpectra conſpiciantur;
vix enim alia poterit aſſignari cauſa huius rei, quam,
quod Satanas mox (permittente Deo) in pecuniam
illam potestatem ſibi ſumat, quæ, interdum ipſo ſua-
dente, vel certe nunquam abſque peccato, a poſſes-
toribus

*excuſationis
a tutela pre-
beant.*

*An ſalua
conſcientia
theſaurum a
ſpectris cuſto-
ditum occu-
pare liceat?*

soribus humi defossa; quare seductor mirifice gestit
eo argento tanquam illice vti, quo in casses auaritiae
natura iam cupidos hominum animos feliciter per-
trahat. Sufficit ergo nobis ad quæstionem propo-
sitam negando respondere. Licet enim inuentor
blandiatur sibimet ipsi conscientia bona intentionis,
quia scilicet egenis succurrendi ac in vniuersum pro-
ximi commoda promouendi opimam occasionem
ostensam videatur, hoc tamen rem omnem neutri-
quam absoluit, cum ex moralibus constet, non a so-
la intentione actionis fluere bonitatem, & insuper
tentationis loco tale quid a Deo oblatum videatur,
cui ne succumbamus, omnimodo cauendum. Nec
obstat, incertum sæpe fuisse, ad bonos, an ad malos
spiritus spectra referenda, quæ thesauris incubuere,
adeoque ab ipso Deo traditam videri pecuniam in-
uentori; regero enim: propter incertitudinem eo
tutius est consilium abstinenti ab eo, quod valde im-
probabiliter a Dei manu porrectum putatur, neque
enim diuina benignitas sub eiusmodi terribili specie
beneficia sua distribuere solet. Sed quid si spectrum
ipsum homini thesaurum offerat, simulque ad capi-
endum eundem impellat, cuius exemplum refert
Mart. Grundmann in Tract. quem inscribit neueröff-
nete geist- und weltliche Geschicht-Schule litt. g. n. 9.
p. m. 245. seqq.? Hic omnino falsa conscientia thesau-
rum accipi posse iudico, in primis, si tales concurrant
circumstantiae, quales in allegato loco leguntur, vbi
ex toto negotio diabolicae fraudis nihil eluet. Nar-
ratur enim, in sylua, non procul a Quedlinburgio,
puellam rusticam, collectis in duabus corribus li-
gnis, domum abeuntem accessisse virum staturæ fo-
lito

934.

lito minoris, (ein klein Männchen) atque ostensa in proximo colli magna argenti copia, serio monuisse, tolleret, quantum eius possit, mox, puella non sine lacrymis abnuente, ipsum sua manu bonam partem argenti alteri ex corribus, abiecit lignis, intulisse, postdisparuisse. Re domum delata, rusticos accurrisse ex pago magno numero, thesaurum in illo loco inquisiuisse, at irrito conatu. Extra hunc casum specialem decisionem datam applicare non ausim.

§. XVII. In specie circa thesauros notissimi iuris est, eosdem, si in loco proprio inueniantur a domino, inuenientis esse, nisi forte illicitis mediis vodus sit, tunc enim thesaurus ipsi in pœnam aufertur & totus fisco vindicatur, *L.un.C.thesauris l.5.C.de malef. & mathem. vid. Carpzov. in prax. Crim. qu. 50. num. 37. & seqq.* Quodsi itaque suafu & du&tu alicuius spectri in suo quis thesaurum inuenerit, queritur, annon ad fiscum tanquam illicitis mediis quaestus pertineat? Ita videbatur, cum nihil magis illicitum forte dici possit, quam natum & voluntatem maligni spiritus sequi. Sed contrarium verius puto, ex ea ratione, quia spectrum illud, ostendens thesaurum, non est medium, quo queritur ille, sed tantum causa inquisitioni, inde, si nullo remedio illico in ipsa inquisitione vodus sit inventor, vindicare fiscus nihil potest. At vero, si spectrum, non modo, ubi thesaurus reconditus sit, ostendat, sed etiam certum eruendi modum superstitionis & magicum prescribat, & alter eundem adhibuerit, tum omnino aliter pronuncianendum existimo.

§. XVIII. Porro, si quis thesaurum in alieno data opera inuenerit, eius nihil capere inuentorem, D. quam-

*thesaurus
du&tu spe-
ciorum in-
ventus, an
ad fiscum
pertineat.*

*Quid si the-
saurus in a-
lienno du&tu*

*speciorum
inuentus.*

quamvis alias dimidia pars ad illum pertinuisse, certum est. *l. un. C. de thesauris.* Quid ergo, si quis a spectro alliciatur ad thesaurum in alieno inquirendum? Adhuc dimidia pars ipsi tribuenda. Namque phrasin, data opera inquirere, non aliud significare putamus, quam sciscitari, annon thesaurus in alieno reconditus sit, vel etiam si referatur, illo loco latere thesaurum, statim eundem non salutato prius domino, inuestigare. Neutiquam vero hic casus plane extraordinarius eo spectat, vt quis data opera dici possit in thesaurum inquisuisse, cum spectri apparitio ad casus potius fortuitos referenda, modo tamen mox percepto thesauro, domino loci hoc denuntiauerit, nec furti ac doli suspectum se reddiderit.

*Domo dotali
spectris infe-
stata an alia
dos confiu-
enda.*

§. XIX. Ad materiam dominii refertur quoque dominium dotis, quod marito competit in redituali: est enim maritus dotis dominus ciuilis, arg. *l. doce ancillam g. C. d. R. V.* datur vero dos marito, vt ea vattatur & fruatur ad matrimonii onera ferenda, *l. pro oneribus 20. C. de Jur. Dor.* quid itaque, si vxor marito domum intulerit dotis loco, ea vero spectris adeo infestetur, vt vsum marito nullum aut exiguum plane praestet, num ad aliam dotem constituendam agere potest maritus? Notissima iuris distinctio est, an dominus estimato, an inestimato in dotem data: & si quidem inestimato, iterum distinguendum hoc casu censco, num spectra iam ante constitutam dotem in domo apparuerint, an postea, priori casu, nullum dubium, aliam dotem constitui debere, nam & inutilis est dos, quæ fructum nullum praestat, & in dolo fuisse vxori videtur, eiusmodi dotem constituendo, qui dolus non marito, sed vxori præjudicio esse debet: poste.

935.

posteriori casu, ad casus fortuitos refero subsequen-
tem spectrorum apparitionem, casus vero in re do-
fali contingens, qui vsum dotis impedit, marito tan-
quam domino nocet; non secus, ac inundatio vsum
prædii dotalis impediens, vxorem ad aliud prædium
constituendum non obligat. Quod si æstimato data
domus, non tam ad ipsam rem, quam ad æstimatio-
nem respicitur, *l. 26. ff. soluto matr.* praestare ergo v-
xor tenetur, ut res tantum valeat, quantum æsti-
mata est, adeoque, cum spectra haud dubie diminu-
ant pretium domus, supplebit vxor tantum, quan-
tum deest æstimationi factæ: nisi, postquam domus
iamdum æstimato tradita, superueniant spectra, tum
enim, quia plenum eius dominium in maritum trans-
latum est, huius quoque casus hic erit, & ab eo fe-
rendus.

§. XX. In materia seruitutis constat, si vslus adi-
um alicui concessius, quod ipse vsum locare de-
beat, nec alteri vsum locare possit. *s. 2. I. de V. & H.* quid
sitaque vsum locare possit? *Quid in vslus
adum obi-
neat.*
Resp. affirmando, ut generalis juris dispositio ob-
stante videatur, casum enim necessitatis semper exce-
ptum arbitror, cum & lac ouium ad vsum non per-
tineat, & tamen ad necessitatem modico lactis vt li-
cet. *l. 12. s. 2. ff. d. d. iii.* Ex quo facilior est applica-
tio ad habitationem adum: nam si propter spectra
nec inhabitare liceat, nec domum alteri inhabitandam
concedere, aut alia habitatio, aut eius æstimatio erit
praestanda.

§. XXI Circa ius hereditarium vnicum hic
notabimus casum in materia testamentorum. *Con-*
D 2 *stitu-* *An compari-
tio spetro-
rum imperfe-*

280

*si endis testa
menti solen
nibus actum
continuum
interrum-
pat.*

stitutum est Iure Ciuii solennia testamentorum uno contextu celebranda, & si actus extraneus interueniat, vitiosum esse testamentum *f. 3. I. d. testam. l. 21. ff.* *edem.* quid ergo pronunciandum, si tres vel quatuor testes subscriperint, mox autem spectra appartenientia impediuerint, quominus omnia solennia absoluuerentur, ita ut post magnum interuallum alio loco fuerint absoluenda? Existimo, testamentum propitioso haberi non posse, si modo non plane ad alium diem differantur reliqua solennia, sed, absque alio actu extraneo interueniente, (licet alio loco) in testatoris praesentia ceteri testes subscriptant. Cum enim D.D. casum necessitatis alias excipere soleant, cur non & hic casus necessitatis excipiendus sit, vix appetat. Neque aliud statuimus, si verum spectrum non fuerit, quod apparuit, sed forte alterius dolo, testatorum impeditio volentis, eiusmodi phantasma effectum, dummodo a testibus pro vero spectro habitum, ubi enim eadem adest ratio metus, eadem decisione quoque obtinebit.

*Si constituta
hypotheca
in domo sive
debris inse-
pata.*

*De vendicio.
ne Domus
spectris in-
quietata.*

§. XXII. Circa ius pignoris oritur dubium, si in domo constituta sit hypotheca, v.g. p. 3000. Imperialium, spectra vero ita infestare ceperint dominum, ut nec 1000 amplius valeat, annon ad aliam hypothecam constituendam agi possit? Facilis est decisio, non absolute ad hoc dari actionem. Potest tamen illo casu creditor agere ad soluendum debitum, aut ad sufficientem cautionem & maiorem securitatem sibi praestandam.

§. XXIII. Nunc ad contractus transeundum est, & quidem primo, ad contractum emtionis venditionis. Igitur, si domus Titio vendita fuerit a

Sem-

936.

Sempronio, & tradita quōque cœperit inhabitari, postmodum spectra identidem in ea compareant, quæritur, an contractui stare Titius debet, an ad rescissionem plane agere possit? Hac quæstio, cum satis ambigua sit, sigillatim considerandi sunt casus. Quod si enim spectris infestata sit domus iam ante venditionem, & vendor hoc reticuerit, non dubito ad rescissionem contractus agi posse, modo reuera post contractum consummatum spectra apparetant emptori, eiusque familia. Sed quæritur, quæ actio competit? Haud dubie actio de dolo datur quis enim neget in dolo esse venditorem, qui hoc vitium scivit, & liberum tamen domus usum vendidit, is ergo dolus omnino excludit consensum, adeoque contractum annullat. Cels. Bargal. *Tract. d. dolo Lib. 6. Reg. 2. num. 2. seq.* neque hic, inter dolum incidentem & caussam dantem, distinguimus, de qua distinctione DD. prolix egerunt *ad L. 7. pr. ff. de dol. mal.* vterque enim ad rescindendum contractum sufficit arg. *L. 5. & 10. C. de rescind. vend.* Porro & actio ne ad redhibendum utile agi posse ab emptore, statuimus. Vt enim pro vitio rei intrinseco hoc ipsum haberi nequeat, est tamen saepè hoc vitium quibusdam adibüs, ex iusta voluntate Dei, intrinsece ac perpetuo cohærens, quod proinde a venditore nullo modo celandum erat. Interim excipio venditionem fiscalem arg. *L. 1. f. 3. ff. de Ædil. Edit.* cum hic si bi imputare debet, qui a fisco domum emit, quod non accurati in omnia vitia & qualitates eius inquisuerit, vt hinc de damno, quod sua culpa sentit, postea conqueri non debet. Verum, qua ratione probabit emptor, spectris iam ante infestatam do-

mum fuisse, & hoc venditori non ignotum fuisse? Fateor, probationem eius rei sape difficultiam futuram, sed promptissimum erit remedium, isthac venditoris conscientiae relinquere, & per delationem iuramenti cruere veritatem. Id enim, quin permisum sit emptori, si pse prius de malitia iurauerit, nulla solida iuris ratio obstat.

*Quid si ven-
ditor ignora-
uerit hoc
vitium.*

§. XXIV. Et haec forte facilius obtinebimus, si sciverit venditor vitium: ast quid pronunciandum, si ignorauerit? Evidem, haud facile illum casum contingere posse, vbi non ad minimum ex relatione domesticorum haec res ad venditoris aures delata fuerit, existimo. Demus tamen casum, veluti, si dominus ædium in alio satis remoto loco degat, ibique contractus fuerit initus ab utroque hanc qualitatem rei ignorante. Sed hic idem pronunciare non dubito. Licet enim nihil imputari hac ratione possit venditori, emptor tamen cur ex hac causa tam insigniter laedi debeat, non apparet. Siquidem notissimi iuris est, caussam rescindendi contractum non semper a scientia venditoris dependere. Quodsi enim vitium equi internum ignoret venditor, an ideo emptori a contractu resilire non licebit? Utique vero. Cur non ergo idem hoc casu obtineret? Quodsi detur, ante contractum spectra perturbasse ades, nondum vero constet, an & imposterum apparitura sint emptori & eius familiae, num contractus statim rescindi poterit? Videtur omnino affirmanda quæstio, quod inhumanum sit, ad hoc periculum addigere emptorem, cum ex uno conspectu horribilis larua in discrimen vitae & sanitatis adduci possit. Verum, hoc non obstante, negando respondemus,

cum

DE JURE SPECTRORUM.

31

937.

cum ex praxi constet, spectra non omnibus etiam eodem loco apparere: iam autem iniquum valde & a iustitia alienum esset adstringere venditorem ad recipiendam domum ob vitium, quod tamen postea evanuit; id quod data instantia fiet clarus. Ponamus enim animal morbidum mihi venditum esse, ac alterum probare, morbum, qui tempore contractus adfuerat, recessisse, & animal, post contractum, me non sentiente, sanitem recepisse: quis vnumquam assereret, me nihilominus ad redhibendum agere posse? Idem hic iuris est. Inhabitet ergo prius emptor domum, & ardentibus precibus a Deo tutamen atque praesidium expetat, simulque in fide expectet, ac si postea nihilominus vel ipse vel familia eius spectris infestetur, contra venditorem agat ad rescindendum contractum, ita nec ipsi nec venditori continget praeiudicium.

§. XXV. Haec tenus de eo casu actum, si spectra domum inhabitauerint ante contractum: nunc de illo videndum, si ab initio nihil huius vtraque pars metuerit, quia nunquam spectra visa vel audita in aedibus, numine ex hoc capite emptio venditio rescindi, aut ad minimum de reliquo pretii ab emptore ex aequo aliquid detrahi possit? At vero hoc iniquum putauerim. Quid enim ad spectra vendor? Forte enim emptoris aut eius familie impieras in causâ est, quare daemonis adeo frequens occursus, & libera aedes perstrependi licentia sentitur, cui malo ipse remedia querere a diuina gratia tenetur citra iacturam alterius, cum enim semel dominus adiun factus sit, casus superueniens nulli alii, quam ipsi, ceu domino, nocere deberet.

*Quod si post
contractum
primum spe-
ctra appare-
ant.*

§. XXVI.

*An condu-
ctor impune
migrare
posse obter-
ritionem
spectrorum.*

§. XXVI. De contractu locationis & conductionis, quo frequentior eius in vita ciuili usus, eo magis necessarium videtur, hic disquirere. Si quis ergo domum alteri locare velit, ea vero spectris infestetur, obligatur omnino ad hoc indicandum conductori, alias conductor, mox ut comperiit istud, consummationem contractus iure detrectare potest, nec ad interesse tenerur, si quid enim damni ex parte locatoris subsit, hic imputet vel negligentia vel malitia sua, quod reticuerit non reticenda: modo statim a tempore accepti nuncii mutatum animum profiteatur, ne locator forte excipiat, alium interim inueniri potuisse, qui nulla spectrorum ratione habita domum conduxisset. Si vero consummatio contractu conductor subinde malignis spiritibus vexetur; queritur, anne domum deferere possit, licet praesinto tempore vix ad dimidium elapsa, ira, ut integrum mercedem soluere non teneatur? Hic plura distinctim consideranda. Primum enim, locatore negante, existimo probationem spectrorum iniungi oportere conductori, qua fieri poterit per testificationem iuratam domesticorum, ne forte conductor (ut fere sit) infamare domum dolose cupiat, quo viliori, usus eiusdem, pretio sibi constet. Deinde, modica incommoditas, si tolerabilis ea sit, non adeo attendi debet a conductore, veluti, si spectra tantum in remotiori adiunctorum parte, fores crenaculorum pulsando, aut inconcinnos sonos edendo, exaudiantur: modicum enim in genere damnum ipsae Leges ferendum volunt ei, cui nec immodecum lucrum auferuntur. L. 25. s. 6. ff. Locati. ergo non mox querela desuper mouenda. Sed vero, si domum hinc

938.

hinc inde turbare, familiam illudere, atque ingentia
 damna inferre coeperint mali spiritus, decidendum
 omnino est, conductorem discedere posse, nec pen-
 sionem soluere, nisi pro rata temporis, teneri, cauf-
 sa tamen ad ædium dominum prius delara. Liceret
 enim regulariter conductor, ante tempus conuen-
 tum, emigrare nequeat, nisi cum integra pensione
 etiam interesse præstare velit, Gail. Lib. II. Obseru.
 23. num. 6. hoc tamen cessat, quandocunque iusta
 causa emigrandi subest, ac talem omnino esse spe-
 ctrorum apparitionem consentiunt Doctores vnan-
 miter propter L. habitatores 27. ff. Locati, quæ lex di-
 serte quidem de spectris non loquitur, sed iusti timo-
 ris tantum meminit, ab interpretibus tamen utliter
 ad spectra, quorum iustus procul dubio timor est,
 applicatur. vid. Mozz. de controll. p. m. 415. Schota-
 nus Exam. Iurid. p. 353. Müller ad Struv. Exerc. XXIV.
 Lib. 19. Tit. 2. lit. 8. Pacionus de Locat. & Conduct. cap. 60.
 n. 11. (Contrarium tamen habet Baldus in L. liceit. 8.
 C. de Locato, dicens, inquilinum integrum pensionem
 soluere debere, modo spectra non sint diurna.) In arbitrio itaque conductoris positum erit, velutne
 domo penitus exire, an, mitiori pensione a locato-
 re oblata, continuare habitationem. Vbi illud per
 se patet, remissionem pensionis ad proportionem v-
 sus impediti attemperandam esse, ita vt v. g. pro v-
 no hypocausto vel cubiculo propter spectra, in tu-
 to tantum, quantum damni emergentis est, detrahatur.
 Ast quid dicendum, si domus nunquam alias
 suspecta fuerit, & locator probare possit, turbas,
 quæ nunc audiuntur, inhabitante conductore, ab

E

impro-

bis hominibus & sagis, quibus cum illi inimicitias intercedere palam sit, ministante diabolo, excitari, nonne tum postulare poterit, ut contractui per omnia satisfiat? Resp. affirmando, quia tunc ipsius conductoris culpa est, qui ad minimum occasionem dedit huic malo, quod secundum propositas circumstantias ab immissione divina non absolute provenit. Vid. præter supra citatos, in primis, quæ Excellent. Thomasius notauit ad Positiones Huberi, lib. 3. Tit. 25. §. 62. Christin. Decis. Belg. Vol. 3. Decis. 112. n. 12. Couarruias *Variar. Resolut.* lib. 4. num. 6. Ceterum in locatione operarum idem statuendum censeo, si scil. mali spiritus domum subinde per uagentur, seruos & ancillas iure hinc discedere posse, nec, ad terminum conductionis implendum, vel a domino vel a iudice, adstringendos esse: nemo enim, ut periculo se exponat, vel iustum etiam timorem periculi abiciat, cogendus, cum saepius, a se ipso tale quid impetrare, homini difficillimum euadat, ac præterea communis contractuum conditio: si res in eodem statu permanserit, hinc quoque locationis negotium limitare debeat.

An praesumenda mors eius, cuius umbra conspicitur.

§. XXVII. Missis nunc contractibus, ex aliis materiis ciuilibus pauca adhuc delibabimus. Compertum est haud raro, mortuorum umbras ea forma habituque apparuisse, quo, dum in vivis essent, omnibus cogniti erant, quare non incongruum videatur, hic loci querere, nunquid hominis, qui peregre diutius absuit, semel atque iterum visa species, id effere de iure debeat, ut mors illius presumatur accidisse? Et puto, quod sic, in primis, si plus vna vice,

939.

vice, a diuersis, spectrum illud conspectum sit, in loco domicilii, quo ante discessum homo degebat, ac nihil omnino de morte ipsius hucusque nunciatum: Neque enim de viuis huius quidquam solet contingere; *wer noch lebet, pflegt nicht leicht irre zu gehen,* vti vulgo loquuntur. Hoc tamen eo trahi non debet, vt pro vera probatione talis apparitio accipiatur, hinc & vxor, umbram mariti absentis conspiciens, pro sufficienti argumento mortis illud venditare nequit, nec ad alia vota admittenda: licet enim plena probatio mortis hoc casu non requiratur, sed sufficiat, verisimiliter, & præsumtive de morte constare, Mascardus *de probat. concl. 1075. n. 5.* adeoque & hæc præsumtio videatur sufficiens, attamen eiusmodi præsumtiones hic requiruntur, ex quibus argumentum ad mortem per se sequitur, qualis hæc ipsa non est, cum non impossibile, aliorum astutia & fraude tale spectrum effungi, credamus.

§. XXVIII. Etenim non possumus non meminisse temerarii facti, quod Wittebergæ anno 1691. admissum a duobus ciuibus academicis, Lucio & Se-
io, quorum ille, spectra ridere, hic afficerere, solebat, vti notum est, inter diuersæ religionis homines hac de re vix conuenire. Seius ergo, cum frustra disputari, sæpe animaduerteret, demonstrativa quasi ratione coniecturus aduersarium, nocte aliquando subobscura, toto corporis habitu in speciem horribilis laruae composito, domum redeuenti Lucio o-
cursabat, hic vero, facile dolum suspicans, baculo miseriis modis personatum spectrum excipiebat; illo clamitante, se esse Seium, respondebat: tu es dia-

*An actio in-
iuriarum
competat
contra eum
qui spectrum
simulat ter-
rendi caussa.*

bolus, acriter simul verbera continuando, vsque dum ex commiseratione tandem eum dimitteret; queritur, an Seius contra Lucium actionem iniuriarum intendere potuerit, ideo, quod plagi finem facere non luisset, postquam alter iamdum expreſe nomen suum professus esset? Respondemus, actionem iniuriarum nullatus competere, cum ipſe Seius cauſam dederit negotio; interim a iudice vterque ex officio puniendus, alter propter falso, alter propter nimiam acerbitatē in verberando. Alias vero actio iniuriarum sine dubio datur contra illum, qui domum meam sermonibus suis suspectam reddidit, quasi spectris infestaretur, quis enim dubitet, praesentissimum damnum exinde me sentire, si forte locanda vel vendenda alteri domus, dum nihil aequa facile hominibus persuaderetur, est enim ex genere illorum viatorum, que oculis exterius dijudicari nequeunt.

An actio iniuriarum competit, si ades falſo spectrorum incusata.

Ax fisco solvendi onera de domo propter spe cœra non habitabili.

§. XXIX. Finem ciuilibus materiis imponat quæſtio, si domus quædam adeo spectris turbetur, vt plane inhabitari non possit, an nihilominus integræ onera fisco ex eadem soluenda? Hic negatiua responsio potior. Liceat enim obtendas, quod onera publica non pro solo vſu soluantur, quia tamen quantitas onerum pro singulis domibus determinari solet, valde iniquum videtur, postulare, vt ordinaria tributa pendantur ex ædibus, quæ, propter vſum penitus impeditum, ferme non intelliguntur in bonis esse. Sed huiusmodi quæſtiones magis dependent ex vſu atque consuetudine loci, quam ex dispositione iuris ciuilis, adeoque leui brachio rem tegisse, sufficiat.

§. XXX.

940.

DE JURE SPECTRORUM.

37

§. XXX. Iam ad causas criminales deuoluti, *An spectri
quatenus aliqua nostri thematis applicatio facienda, imputatio
videbimus. Initio, notum est, ex historiis pariter & criminis at-
vsi inter homines quotidiano, quod spectra dome-
stica, die Kobolde, multa saepe hominibus imputare,
vel etiam distincte in memoriam reuocare soleant,
qua ante multos retro annos minus recte factitiae-
runt, quale quid clerici ordinis cuidam, viro inter-
suos non exiguae auctoritatis, in ciuitate H. contigis-
se accepimus, qui a Koboldo, ad admirationem vs-
que, de turpiter olim gestis commonitus est. Affi-
ne exemplum legas apud Cardanum *de subtilitate lib.*
19. p 669. Num ergo talis incusatio spectri sat indicii
contra incusatum praebet, simulque causam dabit,
ut ad inquisitionem iudex deueniat? Resp. quam-
quam non omnia falsa reputanda, qua a diabolo e-
nuncleantur, (siquidem interdum vera dicere potest)
quia tamen de Koboldis in specie constat, quod lu-
discandi homines occasionem nullam omittant, atque
illusionibus mordacissimis eximie delectentur, hinc,
nisi alia superueniant circumstantiae, facti suspicio-
nen præbentes, isthac non attendenda existimo:
quodsi tamen mali mores illius hominis concurrant,
& fama iam quoque de crimen imputato orta sit,
tum profecto non plane negligendum hoc indicium
statuo. Qua occasione & illud notandum, quod te-
stimonium spectri, de innocentia ejus, qui pro deli-
cti reo detinetur, obstat non debeat, quo minus,
ordinaria iuris via, per inquisitionem contra illum
procedatur, licet enim *Actor. 16. v. 17.* expresse lega-
mus, secundum veritatem testificatum esse Satanam,*

E 3

per



per obsessos, de Apostolis Paulo & Barnaba, hoc tamen speciali Dei dispositione factum, nihil impedit quin pater mendaciorum forte ex collusione cum ipso delinquente defensionem eius suscipiat.

*Si spectrum
occisi appa-
reat, an in-
dicium facte
cædis præ-
beat?*

§. XXXI. Si cædes hominis facta ex fama denuncietur, nec tamen de veritate adhuc dum constet, in loco autem, vbi patrata creditur, species occisi, vel sanguine rubentis, vel aliqua parte corporis vulnerati, frequenter se ostentet, queritur, anne presumptio exinde capienda de veritate homicidii commissi? Resp. quod sic, & puto, vel ex hoc capite iudicii incumbere necessitatem, feuerius inquirendi in criminis autores, si quos forte suspectos habeat. Verum, quod hinc vulgo concludunt, ideo umbram occisi apparere, weil er nicht ehe ruhen könnte, bis dem Thäter sein Recht geschah, vanissimum est, nouimus enim, in locis executionum ordinariis frequentissime conspici, quis summo iure capitale supplicium promeruere.

*An mitigan-
da pena de-
linquentis
ex insincta
spectri?*

§. XXXII. Quod si quis a spectro incitatus fuerit ad delinquendum, queritur, num excusationem aut mitigationem penæ mereatur, qui ad instantium eiusmodi spectri atrox delictum commisit? Casus plane notabilis contigit nuper admodum, in pago Comitatus Castellensis, Wiesenbronn dicto, ubi femina quædam, Anna Margaretha Gansertin, propter incendiī crimen ad inquisitionem tracta, cuius confessionem, quantum ad causam delicto praetensam, ipsissimis verbis adducemus, prout legebatur in Actis, mense superiori ad Incolytam Facultatem Iuridicam huius loci transmissis, hunc in modum:

Ad

94).

Ad art. 67. Wer der delinquentin Anleitung zu dem facto gegeben? Resp. Es wisse kein Mensch nicht drum, sondern sie habe es auf des bösen Feindes Einrathen gethan. *Art. 68.* Wie und auf was Weise der Teufel das gethan? Resp. Als sie einst in ihrer Stube ihr Unglück beweinet, sey zuerst ein weißer Geist bey ihr gesessen, und habe sie getröstet, sie solte nun beten, es solte schon besser werden, hernach aber sey ein schwarz Männlein zu ihr kommen. *Ad artic. 69.* Ob sie die beyde Geister deutlich gesehen? Resp. Habe bey de recht deutlich gesehen. *Ad art. 71.* Was das schwarze Männlein gesagt? Resp. Warum sie sich so bekümmere, sie solle ihm das Haus anstecken, so sey er wieder gepuszt, und wären diese Leute ohne dem nichts nutz, worauf sie: das Blut Jesu Christi, gebetet, davon es alsbald zur Thür hinaus gelaufen, und selbige zugeschmissen, bald aber wiederkommen, und eben die ersten Worte gesagt, sie solte es nur anzünden, sie werde nicht ertappet werden. *Ad articulum additionalem 7.* Ob es dann gewiß wahr sey, daß der Teufel ihr sichtbarlich erschien? Resp. Ja es könne nicht anders seyn. Bey dem ersten Brand sey er ganz klein kommen, mit einem schwarzen Kleid, daß anderemal mit einem braunen Kleid, als ein Cavalier, und ihr gedrohet, wann sie es nicht thun wolle, wolte er ihr den Hals umdrehen, als sie gesagt, sie fürchte sich, sie käme in Unglück, habe er ihr gesagt, sie solle es nur thun, wolte sie schon verwahren, daß sie niemand ertappen sollte. Dass drittemal, sey er wieder zu ihr kommen, als ihr Mann eben ins Nachbars Haus gegangen, und habe ihr gesagt, nun habe sie genug gethan, jetzt seyn ihre Feinde getilget, hätte aber, weil kein Licht in der Stube gewesen, nichts sehen können, worauf sie gegangen und ein Licht angezündet, da der Teufel denn wieder kommen

kommen, ihren Bedünken nach, in einem braunen Kleid, denn sie nicht genau acht auf ihn gehabt, und ihr gesagt, wann sie das dritte würde angezündet haben, sey es genug, und ihre Feinde getilget. *Ad art. 8.* Woher sie wissen könne, daß der Teufel und nicht ein Mensch, gewesen? Resp. Sey kein Mensch gewesen, weil er Geiß-Füße gehabt. *Ad artic. 9.* Ob sie solches eigentlich gesehen und wargenommen. Resp. Habe es recht eigentlich gesehen. *Ad artic. 11.* Ob ihr nicht vorhero auch ein weisser Geist erschienen? Bey dem ersten Hauss, als sie es angezündet gehabt, sey ein weisser Geist kommen, und sie getröstet, und ihr gesagt, sie sollte sich nicht so betrüben, der böse Feind möchte sonst sie gar in seine Klauen bekommen. *Ad artic. 13.* Ob sie der weisse Geist nicht gestraffet wegen dieser bösen That? Resp. Habe gesagt, sie sollte es nicht gethan haben. *Ad artic. 14.* Ob er sie denn nicht abgemahnet, sie solle es nicht thun? Resp. Habe gesagt, sie solle es nicht mehr thun, sondern fleißig beten, so würde Gott ihr die begangene Sünde vergeben. *Ad artic. 15.* Ob der weisse Geist im Gefängniß bey ihr gewesen? Resp. Sey, ehe sie die That bekant, bey ihr gewesen, und zu ihr gesagt, sie sollte ihr Herz ausschütten, und offenbaren, was sie gethan hätte. Quantum ergo ad decisio-
 nem quæstionis, nollem absolute ad illam responde-
 re, vel negando, vel affirmando. Impunitatem sa-
 ne, nunquam ex hac ratione, quia diaboli impulsu
 peccatum est, reo concedi posse, nemo non videt, in-
 terim, rigoris in puniendo caussam idem interdum
 præstare, iudico. Cum distinctione tamen. Si quis
 enim simpliciter tantum maligni spiritus instin^{tum}
 allegat, cuius occasione facinoris committendi con-
 silium ceperit: hoc a iudice nequaquam attenden-
 dum

DE JURE SPECTRORUM.

942.

dum arbitror: cum & ipse reus probe scierit, eiusmodi temptationibus primo quoque insultu resistendum fuisse, & ex usu iudiciorum constet, nimis vulgatam esse excusationem perditissimorum hominum, qua, depravatae mentis suae vitio neglecto, diabolum criminis auctorem vnicce caussantur. At vero, si constanter inquisitus asseuerare perget, exagatum se a spectro diabolico, visibili specie apparente, sub comminatione suffocationis, aut colli contorquendi, ad immane quid audendum adactum esse, spatiuum animi recolligendi vix habuisse, de novo subinde idem sibi ingestum esse, donec in peccatum consentiret; his concurrentibus circumstantiis, (adde, si vita ante acta manifesto scelere non inquinata) nihil vereor pronunciare, quod mitigatio supplicii ordinarii recte adhibetur. Licet enim palam sit, spiritualibus armis etiam illiusmodi ferociores impetus repelli posse, dolenda tamen sors miserorum hominum, qui, ostentato a satana mortis periculo, facile malis suis succubuere, quare generalis cautio, quod pena semper in mitiorem partem flestenda, hic non absurde applicabitur.

§. XXXIII. Cum dæmoniacæ apparitiones in locis tenebricosis frequentiores esse soleant, quod promptior ibi terrendi materia, inde fit, ut carceres obscuri plerunque etiam spectris infestentur. Non inutilis ergo hic oritur questio: An salua conscientia iudex capitalis criminis reum in eiusmodi carceres detrudere possit, quos de spectris ipse nudit suspectos haberi? Quod omnino negandum opinor, siquidem hac ratione de industria quasi vita-

F

pericu-

*In carcere a
spectris infes-
tato non de-
bet derineri
delinquens.*

S+P

periculo exponitur inquisitus, quod contra finem incarcerationis est, carcer enim ad custodiam datur, non ad paenam, vid. l. 1 C. de custod. reor. & si delinquens non debet in obscuro retro & subterraneo carcere detineri, Gomez. de delictis cap. 9. num. 6. Menoch. de A. I. Qu. L. 2. casu 305. num. 5. Guazzinus in defensa reorum Vltra cap. 1. num. 55. multo minus, eligi potest illiusmodi qui propter larvas diabolicas formidabilis putatur, cum ita puniendum sit corpus, ut parcatur animæ, adeoque cauendum, ne ad desperationem adactus captiuus, sibimet ipsi violentas manus inferat. Quare inconsulti sunt illi iudices, qui atrocioris criminis reos, ex affectu rigore, (pro compescenda contumacia) carceribus illis includunt, quos diabolicis turbis inquietari, non uno saepe exemplo edocti, quin & propter abusum iurisdictionis utique puniri debent, ipsi autem incarceratedo, distata pena mitigari, arg. l. 23. C. de penis. ibique Brunemann. Hartm. Pistor. obseru. 177. n. 27 seqq. Carpz. Prax. Crim. qu. 143. n. 49.

*Quale crimen effigie
pecunia do-
tosa.*

§. XXXIV. Illud adhuc necessum erit annettere, quale crimen committatur eo casu, quando quis forma terrifica obambulando, vel turbas excitando &c. spectri, ut ita loquar, personam mentitur? Et, cum speciale omnino nullum in iure nostro nomen proditum sit, quo isthæc malitia vocari debeat, stellionatum proxime attingere puto, si ad illudendum aliis horribilem formam effinxerit; quod si his illusionibus extorquere, qua forte haec tenus constanter denegata, quæsuerit, ad concussionis crimen haud inconcinne referri potest. Seueriori autem

943.

tem' poena coercendam esse petulantiam eiusmodi hominis, qui pro sp̄ectro seū gerere non erubuerit, nemo facile negabit, non tantum si manifestum aliis damnum vel periculum hoc modo intulerit, verum etiam, si nudae saltē illusionis gratia, in loco forte publico, laruum quandam ostentauerit: interest enim Reipubl., ne credula nimis multitudo vano timore impleatur, qui variis superstitionibus postmodum concipiendis ansam praebeat. Aliud plane consilium medicorum est, si quando melancholicis curandis adhibeant spectrorum effictiones, de quo vid. Celeb. Wedel. *Disputat. cit. p. 29.* vbi lepidam in hanc rem ex Heurnio historiam refert.

§. XXXV. Superest, vt de officio magistratus circa sp̄ectra, coronidis loco, nonnulla adiiciamus. Primum quidem, si quam forte famam, de sp̄ectris hinc inde vagantibus, per ora ciuium volitare, magistratus animaduerrat, sedulo ipsi inquietum puto, quatenus aliquid veri subsit, non tantum, ne falsis relationibus inuicem sibi ciues impionant, atque ita vel publicas vel privatas ædes, absque causa, infames reddant; verum etiam, ne per sagas forte, aut artibus magicis impiorum hominum, ista varii generis terriculamenta repræsententur, cuius exemplum vide apud B. Arndium *Commentor. ad Psalm. conc. 3. in Ps. 91.* Si quis porro magistratu se offerat, expulsionem sp̄ectri, (quod in loco, vel publ. vel priuato sentitur) tentaturus, seu violenta ratione, seu imprecationibus, obtestationibus, variisque signis, id efficere spondeat, hunc neutiquam admittendum existimo, non magis at-

*De officio
magistratus
circa sp̄ectra.*

que illum, qui, forte oborto incendio, flammam
ignis prohibere vteriori progressu, das Feuer ver-
sprechen, audeat. Etenim, vix est, vt eiusmodi ex-
pulsionis violentæ consilium non proueniat, ex te-
meritate profanæ mentis, aut fallaci superstitione,
aut, quod magis detestandum, ex collusione cum
Satana, quo easu diabolus diabolum pellit: id cir-
co inter christianos nihil tale tolerari debet, qui-
bus alia prorsus remedia aduersus dæmonem sup-
petunt.

*De officio
ministri Ec-
clesiae*

§. XXXVI. Ad officium ministri ecclesiae
imprimis pertinebit, vt, accepto nuncio de spectris
in domo tumultuantibus, mature commonefaciat
possessores eius & alios, quos hæc res tangit, ne, si
rudiiores quodammodo sint, ignorent amplius, quid
istud sibi velit, quæ mali cauſa, quæ origo; si in-
firmo nimis animo, ne immodico metu dejici men-
tem patientur; si peruicaces ac temerarii, ne con-
temptu spectrorum intempestiuo audacie pœnas in-
se prouocent; si impaticentes, ne superstitiona vel
violenta remedia, imprudenti consilio, a beneficis
expetant. In vnuerium autem, primaria pars of-
ficii ministri ecclesiae fuerit, vt ardentissimis preci-
bus tum ipsis domesticis adesse, tum, si res postuleret,
publicas in ecclesia precationes pro frangenda dia-
boli potentia instituere nihil cunctetur, his enim re-
mediis felicius fugabitur dæmon, quam crucis signo,
& aquæ benedictæ aspersione, vt & angelica saluta-
tione, quo pacto repulsum refert Delrio *Disquisit.*
magic. lib. VI cap. 2. sect. 3. qu. 3. num. 518. De cetero,
num adiurare liceat spectra vel exorcisare, vid. Kō-
nigii

944.

nigii *Heptos Casum consc. miscell. p. 19. seqq.* ubi negati-
uum recte fuetur.

§. XXXVII. Officium denique Christiano-
rum omnium circa spectra, Beatisimus Lutherus, *De officio
priuatorum in genere,*
magnifica satis voce, ac Lutheru digna, sequentem
in modum exponit: Darum solt du alles solch Gespü-
nis der Geister frey und frölich in den Wind schlagen, und
dich nicht für ihnen fürchten, so werden sie dich auch wohl
mit Frieden lassen. Und ists, daß etwa in deinem Hause
hast einen Polter- und Numpel-Geist, so mache nicht viel
disputirens, und wisse, daß da kein gut Geist ist, und er
nicht von Gott kommt, mache das Kreuz für dich, und
fasse den Glauben zu Herzen: Hat ihm Gott verhänger,
dich zu straffen, wie den frommen Hiob, so sey bereit, und
leide es willig; ists aber sein eigen Spiel, so verachte ihn
im starken Glauben, und erwäge dich nur frisch auf Gottes
Wort, denn er wird dir Gottes Wort nicht anbeisse-
sen, da habe keinen Zweifel. Part. I. Postill.

Ecclesi. Conc. in Feste trium Regum

p. m. 170.

SOLI DEO GLORIA.



F 3

COROL

COROLLARIA.

I.

Homo christianus vix habendus
est, qui spectra omnia negat ac
ridet.

II.

Absurda est illa formula: Alle gute
Geister loben GOTT den HERRN, si aduer-
sus spectra adhibeatur.

III.

Ius Principis circa religionem saepe
coniunctum est cum periculo consci-
entiarum.

IV.

Bella christianorum offensiva, ne-
que ex antiqui, neque ex noui foederis
Codice sacro defendi satis possunt.

V.

V.

Non mox Anabaptisticum putandum est, si quis de necessitate poenarum capitalium, iure nov. testament. dubitet.

VI.

Iuramenta inter Christianos licita
puto, sed ex Ebr. IV. v. 16. minime pro-
banda, interim, parcius adhibenda.



240

19 (v.) 20

19 (v.) 20
Hoc est enim corpus meum
quod dabo propter eos quoniam
cum eis comedere non possem
quod est carnem meam dabo vobis
quod est corpus meum

21

21
Iustus erit qui secundum prophetam
dicitur: Propterea dico vobis quod omnes
probabitur secundum operes vestros
secundum temporem vestrum secundum scripturam



ULB Halle
002 100 509

3



VB 17





DISSERTATIO JURIDICA,
DE
JURE 1700
PECTRORUM,
9

Oder:

n wie weit jemand aus Furcht vor
Gespenster sich ein Recht anmassen könne;

OVA M

P R Ä S I D E

I. JOH. SAMUELE STRYCKIO,
U. D. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO ET FA-
CULTATIS JURIDICÆ DECANO,
IN ALMA FRIDERICIANA

Anno 1700. d. 25. Junii.

RESPONDENDO PROPUGNAVIT

ANDREAS BECKER,

HAL. MAGDEB.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS HENDELIANIS, 1738.